

alterum a Gabinio venisse significat, scilicet quod regem Ptolemaeum acceptis decem millibus talentum per vim militarem exercitus Romani restituisset in regnum suum. Et simul in hoc epichiremate adhibet eundem
 5 colorem iam sibi in multis orationibus frequentatum, idcirco se cedere urbe maluisse, ne quid seditiosae dimissionis cum multorum exitio moveretur.

Quem quidem saltator ille Catilinae consul § 87. proscriptionis denuntiatione terrebat.

10 Ἰδίωσ pro stomachi sui acerbitate Gabinium lacerat quasi famosae impudicitiae, quem minitatum proscriptionem equestri ordini eapropter dicit, quod illius edicto fuisset L. Aelius eques R., cui familiaris amicitia cum M. Tullio fuerat, relegatus.

15 Iustissimos omnium Metellorum et clarissimos § 89. triumphos gloria et laude superavit.

Cum semet ipsum praepositurus sit Q. Metello Numidico, et illum tamen copiosissime laudat et ad quoddam egregium specimen virtutis amplificat, quod maluerit in
 20 exilium <ire> quam iurare in agrariam legem tribuni pl. Apulei Saturnini. Verum sibi, ut coeperam dicere, ipse Tullius maximam laudem praestruxit, qui ad tutelam salutis publicae patientiam discessus illius, quamvis non mediocri cum dolore, suscepit, ut multo sit laudabilior
 25 Metello, qui non tam pro vigore sententiae suae . . .

(Desunt II paginae.)

. . . miserabiliter intellegatur, qualis ferme lugentium § 99. maeror est, quos impetus nimiae karitatis exagitat.

